



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crucifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.2. De altera ejusdem fortitudinis ratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

sto pati, affligi, mori non dubitent. Atque hæc de prima ratione.

§. 2.

De altera ejusdem fortitudinis ratione.

Altera ratio in ea fundatur persuasione, quam Crucifixi amatores altè animis impressam retinent; quòd ea quæ Christi causâ sufferunt, ex Petri Apostoli sententia, quædam sit communicatio passionum Christi: adeòq; non tantùm pro Amore suo Crucifixo (quæ per se magna est libenter omnia sufferendi ratio; cùm aspera quæq; mitescant ardentè amantibus, præsertim cùm ea de dilecti manu provenire contigerit) sed cum ipso Christo, Domino suo & dilecto suo, patiantur. Si enim ex veteri verbo: *Socius in pœna, magnum est solatium*: quod solatium erit Christum amanti, ejusq; causâ patienti, ipsum dilectum suum confortem habere pœnarum, & (quod Paulus optabat) ipso usu fructuq; *Philip. 3.* cognoscere societatem passionum illius?

Quem etenim rigorem non molliat, aut quem amarorem non abstergat ea cogitatio? Magnis equidem angorum incommodis, ærumnæ me premunt cruciabiles: sed in his mecum est dilectus meus, Deus cordis mei, prædulcis sponfus animæ meæ. In cruce versor: verùm hunc jam antè in ea jacentem invenio. Mero potor aceto, & felle pascor amarissimo: sed istæ sunt escæ quibus ille libenter vescitur; in hac ipsa mensa is mihi jucundus convictor est atque familiaris. Quæcunq; ærumnæ, quæcunque me fors exerceat, in hac illum socium atque confortem habeo. Et pluris mihi est ejus præsentia ad solatium, quàm ipsa mali vis ad cruciatum & dolorem. Mala mea non sentio, dum dilectum meum mecum patientem, mihi compatientem attendo.

Quid enim suavius ac jucundius (inquit aureo ore Chrylосто. Hom. 1. in mus) quàm me Christi socium effici, atque ipsius causâ hæc per-

2. Cor. peti?

Yyy

peti?

Ep. ad Neo
mes.

L. 2. de fide
c. 4.

peti? Quid cum hac consolatione comparandum? Atque hac ipsa ratione SS. Martyres solabantur penarum suarum dura tædia: quemadmodum ad eorum nonnullos in metallo constitutos scribens B. Cyprianus: *Humi jacent (ajebat) fessa laboribus viscera; sed pœna non est cum Christo jactura.* Quippe ut & hoc addam cum Sancto Ambrosio: *Gratum remedium, solatium habere de Christo.*

§. 3.

Postrema ratio ejusdem effectus astruitur.

Postrema tantæ fortitudinis basis est; quòd jam, non tam se ipsos pro Christo, aut cum Christo pati, quam Christum in ipsis ineffabili modo pati existiment. Nam quemadmodum ipsi affectu in Christum sic transformantur, ejus vulnera ac passiones libenter in se suscipiant: ita Christus vicissim in illos quodammodo transformatur, ut eorum labores ac dolores in se derivet ac suos faciat; illosque reciprocà, suâ virtute ac fortitudine induat. Certè si Paulus Apostolo, tam suo quàm aliorum Sanctorum nomine dicere licuit: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus:* illis pari jure dicere licebit: *Patior ego, non jam ego patitur verò in me Christus.* Cùm enim illud manifestum sit: pati non posse in aliquo corpore, nisi qui in illo corpore vivat: si Christus & non Paulus, vivebat in corpore Pauli, profectò & in Paulo non Paulus jam patiebatur, sed Christus.

Sancto Ambrosio attributus Commentarius in posteriori ad Corinthios epistolam, ad illa verba capituli: *Semper mortem JESU in corpore nostro circumferentes: doctum non est,* inquit, *quia in Martyribus Christus occiditur: & in his, qui pro fide patiuntur, aut exitus, aut vincula, aut verbera, Christi passiones sunt; ut & vita ejus in eorum corpore*